



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Evnibertvm Comitem. Minatur illi  
excommunicationem, nisi res sancti Petri, & Angelbergae imperatricis  
restituatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CCXXXVIII.  
 IOANNIS PAPÆ VIII.  
 AD EVNIBERTVM COMITEM.

Minatur illi excommunicationem, nisi res sancti Petri,  
 & Angelbergæ imperatricis restituat.

*Euniberto glorioso comiti.*

**V**ERACI relatione comperimus, te res sancti Petri apostoli, quas spiritali filia nostræ Angelbergæ Augustæ concessas habemus, cum aliis eiusdem filia nostræ proprietatibus, contra legem inuadere, ac retinere: & ob hoc tu ipse admonitus ab inuasionem illa non te subtraxeris: quin potius hætenus in hac eadem prauitate persistere nequaquam omiseris. Idcirco tibi præcipimus, vt omni occasione postposita te compescens easdem res omnino relinquant, & te siue tuos ab ipsis remoueas: quatenus eidem filia nostræ liceat omnes illas suo dominio vindicare, atque disponere; & vt ei libitum fuerit, sub nostro speciali mandeburdio retinere: alioquin noueris te apostolica nostra auctoritate sancta communionem priuatum; & quousque sub congrua satisfactione, quæ alterius sunt restituas, a Christianorum consortio separatam. Data vt supra.

EPISTOLA CCXXXIX.  
 IOANNIS PAPÆ VIII.  
 AD GISVLVVM ABBATEM.

Eius curæ monasterium Angelbergæ imperatricis committit.

*Gisulfo venerabili abbati monasterii sanctæ Christinæ.*

**A**CTORITATE sanctæ sedis apostolicæ, tuæ reuerentia committimus, vt curam perspicuam, & sollicitudinem habeas monasterii dilectæ filia nostræ Angelbergæ Augustæ siti in ciuitate Placentia, sicut idoneus Christi minister, & gregis Domini prouisor eximius; quatenus secundum regulam sancti Benedicti, iure abbatis quæ ordinanda vel disponenda sunt disponas & ordines: & quæ corrigenda perspexeris, subtili dumtaxat indagatione, vt

Mm iij